

















EMMANUELIS ALMEIDÆ  
MACIELII  
IN GYMNASIO BAHIENSI  
REGII PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS  
ORATIO  
IN SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE  
PUBLICÉ HABITA  
POSTRIDIE KAL. MARTII  
ANNI CICICCLXXV.



OLISIPONE  
EX TYPOGRAPHIA REGIA.  
ANNO CICICCLXXV.  
*Cum facultate Regiæ Curiæ Censoriæ.*

О Г Т А Я О  
Э Д И Н У Е С Т А М И С  
И А Г И Е Л І  
Л К О У К С И О Б А Н Е С  
А Г О В Е С О Р І  
О Г Т А Я О  
С И О Г Т А П А Т С И М Я О К И Т С И М И С О Р И  
А Т И В А Н З О Р Г Т Й  
Л Т В А Н Д А Н Д И С О Р І

Rationale animal es : quod ergo in te bonum est ?  
perfecta ratio. Hanc tu ad summum finem evoca , in  
quantum potest plurimum crescere. Tum beatum esse te  
judica.

Senec. Epist. cxxiv.

# ORATIO.



I uberior unquam , ac periculosis  
Oratori fuit dicendi mate-  
ria , eam profecto esse fateor ,  
in qua me versari agnosco. Di-  
cendum est de Philosophiæ Rationalis di-  
gnitate , quo uberiorem eloquentiæ campum  
vidi nullum , ubi latius excurrant veræ sa-  
pientiæ laudes cum mortalium felicitate con-  
junctæ. Sed dicendum ab homine , qui æta-  
te , utcumque , ægritudine satis attritus , cu-  
rando potius corpori , quam excolendæ men-  
ti opportunus esse videbatur : in quo peri-  
culi quantum sit positum , vos ipsi judica-  
te. At si patriæ hanc , qua fruimur , vitam ,  
si Regibus ipsius vitæ commoda , conser-  
vationemque debemus ; necesse est , ut ad  
patriæ utilitatem , Regumque imperium nos-  
que , nostraque omnia referamus. Hoc quo-  
libet unicuique tempore natura imperat ,  
& religiosius certe mihi , qui lapsis retro

annis multos Brasiliæ tractus peragrandi nullibi , nisi in patria , clementius sanitati meæ cœlum , aut firmius tuendæ valetudini præsidium invenire contigit. mihi , qui a Rege nostro Fidelissimo , & Optimo tot accepimus beneficia , ut nisi alia suppeterent observationis meæ incitamenta , unum grati animi officium me ad obsequendum impulisset. Prætereo illa perenni fluxu ubique manantia , & in creditos sibi populos derivata benevolentiae argumenta. omitto , quæ ad extollendam Regni majestatem , augendam civium fortunam , commercium amplificandum , perpoliendas artes , exercitus instruendos , litteras demum perficiendas provisa fuisse gloriamur. Hæc mihi cum aliis communia sunt , & communem sibi postulant subditorum omnium acclamationem. sed ea , quæ cum ampla sint , me proprius contingunt , omisisse scelus esset , & quidem immane. Ipse REX beneficentissimus e regio culmine jam dudum oculos in domum meam convertit. ipse me hominem longe positum , ac vix auditum non meminit tantum ,

tum , sed auxit , ornavitque. Quare vos pre-  
cor , Auditores , ignoscatis mihi hoc de-  
mandatum a Rege docendi munus hilari ,  
promptoque animo subeunti : & cum Ra-  
tionalis Philosophiæ supra cæteras quascum-  
que illius partes commendaverim , siquid  
imbecille , deviumque exciderit , ætati meæ  
studiis desuetæ : siquid vero firmum , rectum-  
ve fuerit pronuntiatum , totum illud post  
Deum Optimum Maximum clementissimi  
Regis imperio , ac meæ in patriam carita-  
ti tribuatis.

Maiores nostri , qui Aristotelici dice-  
bantur , cogitandi Arte nimium capti , dum  
illam plus æquo colere , atque ornare stu-  
dent , tot bellas quidem , sed inanæ , ac fu-  
tilest reculas addiderunt , ut nativum ipsius  
colorem , & pulcerrimam faciem deturpa-  
verint. Hinc meretricio cultu deformis , con-  
temptui haberi cœpit gravissima , atque om-  
nium mater disciplina , & doctorum ho-  
minum in se primum aversionem , odium  
deinde , & despectum provocavit. Sed eo-  
rum multi , qui hanc impeditam cogitandi

me-

methodum carpebant, ob labilem humani spiritus conditionem, culpam dum fugiunt, in aliud profecto vitium impegerunt. A Rationali ad Physicam, a mentis ad sensuum Philosophiam confugere, Mathematicæ auxilia invocare, machinas disponere, & collecto magno undique instrumentorum apparatus Scholasticos aggredi, & opprimere destinarunt. Hæc saniora quidem consilia fuerant, nisi longius quam par erat, prolatæ, eo imprudentiæ devenirent, ut non nulli Geometriam pro Logica, pro Methaphysica Algebram, ac Naturæ Jus pro Ethica solum addisci, perlustrarique debere a juventute credidissent. Et quamvis res omnes, illas simul, quæ perspicuæ fiunt, & cunctis obviæ, geometrico ordine collocarent; pro demonstrationibus sæpe hypotheses, easque levibus innixas conjecturis obstrudere visi sunt magno cum rei litterariæ detimento. Quid enim dissimulem viros fuisse clarissimos, quos honoris ergo prætermitto, qui cum mundi prius opera analyticæ methodo explorare debuissent, ut illa

la synthetica postea facilitate distribuerent, alia e contrario ad proprii ingenii normam conficta excogitarunt, ad eaque si possent, conformanda cogere tentarunt naturam invitam & reclamantem?

Sed ea jam sumus ætate, litterarumque fortuna, ut, amputatis utriusque partis præjudiciis, suum cuilibet disciplinæ jus, locus, & limites sine injuria serventur. Advenierunt tandem felicia illa tempora, quibus beatos nos, beatumque regnum prædicaret gravissimus ille Philosophiæ magister Plato, sub Rege omnium maximo, qui cum difficilima imperandi arte, cum ineluctabili justitiæ tenore, & cum eximia prudentiæ dexteritate, in ipsa curarum mole non philosophatur modo, sed Philosophos, veræ dico Sapientiæ amatores, ad se trahit, atque invitat, ut collatis inter se consiliis quid in unaquaque optimum feligi, tradique possit. Adepti jam sumus amplissimum doctorum omnium Mæcenatem MARCHIONEM POMBALIENSEM, inclytum illum virum Lusitaniæ bono natum, fidissimum

mum Regni Administrum , cui inter tot regia , ac seculo digna facinora summa est supra omnem gloriam laus de profligatis a se erroribus triumphasse. Suspicimus jam doctissimum Censorum Senatum , quos inter caput ad tollit Præsul ille sapientissimus non tam dignitatis splendore , quam virtutum merito , ac litterarum honore conspicuus. Hi sunt limpidissimi canales , per quos saluberrima Solii oracula ad nos quotidie derivantur. Testis illa Academia Colimbriensis nuper ereta , ac novo spiritu donata. testes innumeri doctrinarum omnium Professores. testes demum leges illæ , legumque volumina ad rectam studiorum rationem instituendam. quæ tacentibus etiam nobis perpetuo clamant , atque extollunt immortalem Regis gloriam. Sed cum tot , ac tanta ne queamus his verborum angustiis comprehendere ; nostra , unde paululum divertit , redeat oratio , & ex multis unum adnotare sufficit , quod ad rem , in qua sumus , inlustrandam suo jure pertinebit.

Acre illud , quod a Philosophis magna utrin-

utrinque animorum contentione agebatur ;  
 bellum hoc regio , gravissimoque judicio  
 extinctum vidimus. Physicæ , ac Mathematicæ  
 præclara quidem sedes , atque honor  
 designatur in Academia nostra : at Logica ,  
 Methaphysica , Ethicaque totum , quod late  
 patet Lusitaniæ imperium , non excurrere  
 tantum permittuntur ; sed præcepti religio-  
 ne eas addiscere , atque docere constringi-  
 mur. O sublime Philosophiæ nostræ decus !  
 o excellentissimum omnium præconium !  
 Si enim Romanorum sapientissimus Tullius  
 uniuscujusque artis laudem ex illo , quo  
 diffunditur terrarum ambitu , metiendam fo-  
 re dixit , ut quæ amplioribus , magis , quæ  
 vero angustioribus continerentur finibus ,  
 minus pretii , existimationisque reciperent ;  
 quantum gloriæ putatis , Auditores , inesse  
 nostris studiis , quæ nullis definita locis ,  
 immo omnium oculis exposita , omnium ma-  
 nibus teruntur , atque frequentantur ? Et  
 ne quis in eam fortasse suspicionem veniat  
 me ex antecepto in disciplinas illas odio  
 hæc , aut similia effutire ; fateri cogor me

a puerο nescio qua animi vi , innatoque pondere ad ipsas ferri , & supra omnium mortaliū conditionem extollere , quos in hac parte excelluisse audiebam . Quod si in iis parum , aut nihil me profecisse agnoscam , illud ingenii mei tarditati potius , quam artium invidiæ adscribendum . Sed cum muneris mei ratio me moneat non amo ri , aut odio , sed veritati nos , nostraque judicia deberi ; huicque non personarum patrocinium , non regionum amplitudo , & humanæ commendationis auctoritas præferri possint ; inspiciamus , si Deo placet , utriusque Philosophiæ indolem , ut altera contra alteram posita luculentius innotescat.

Cujuslibet sane doctrinæ virtutem ex illa primum , in qua occupatur , materia , ac ex fine demum , quo ipsa tendit , definiiri oportere doctissimi omnes confitentur . Nam , quæ nobiliorem sibi objectam rem aut contemplatur , aut agit , mediaque disponit ad sublimem magis , utilemve finem consequendum ; hæc aliis palmam eripit , anteferri que

que meretur. Quænam vero nobilior sit Philosophiæ materia , quis tandem finis illius utilior ? hoc in controversiam , periculumque adducitur. Physicæ , ac Mathematicæ amplissimam esse materiam , eamdemque pulcerrimam nullus erit , qui neget. Totum hoc naturæ sensibilis vastissimum regnum , & quæ in eo clauduntur omnia , sunt earum considerationi adtributa. Illa causas , effecta , atque leges inquirit : hæc numerum , pondus , & mensuram , quibus a summo omnium Artifice constitutus est mundus iste adspectabilis , expendit. Et quamvis in hac rerum perscrutatione multos sudores profundi necesse sit , sive in detegendis illius arcanis , sive in extricanda ipsius proportione , nihil tamen suavius videri potest hominum phantasiæ his sensuum imaginibus adsuetæ. Omnes enim vix nascimur , his statim simulacris occupamur , illorum dulcedine capimur , atque iis adhæremus , nec sine dolore ab ipsis in morte separamur. Accedit alia , & quæ , mea quidem sententia , homines fortius trahit ad hæc

studia diligenda , animi scilicet nostri insatiabilis discendi cupiditas : qua fit ut eorum auxilio res a nobis longe dissitas intra conclave positi cognoscamus , quin opus sit pedem foras efferre , aut terrarum orbem peragrare . Nam quidquid in belluis , plantis , metallisve tellus ; quidquid mare in mirabili piscium varietate , & reciproca cœtus successione ; aer in elastica ventorum celeritate , atque avium pulcritudine ; ignis demum in stupenda lucis suæ methamorphosi comprehendit ; Physica nullo negotio nobis exhibit , atque animum pacifice delectat . Ad hæc Mathematica suas explicat chartas , ut non solum singulas globi nostri regiones , situs , maria , incolas , eorumque mores Geographiæ ministerio intueamur ; sed Astronomiæ innixi , ac supra nos metipos eresti , cœlos , cœlorumque spatia percurramus . Totus præterea Physicæ labor in eo demum ponitur , dum naturæ ordinem perscrutatur , ut eum inservire faciat hominum bono , atque utilitati . Ipsa est , quæ viam sternit , & instrumenta parat

rat Medicæ arti , qua deficiente nostra , & totius universi salus periclitaretur. Quid enim referret hominem nasci sanum , si statim morbo correptus interiret ; aut saltem illius vi detentus toto , quo maneret tempore vitam viveret ærumis angoribusque miserrimam ? Adversus hæc omnia cum humanum genus remedia habeat a Medicina ; hæc vero a Physica ipsorum principia mutuetur , ut nos aut sanos servet , aut ægros sanet ; Mathematica intendit , ut nos vita ipsa , ac sanitate nostra commodius perfruamur. Sit licet homo viribus potens , ac firma valetudine donatus , nisi in domum se recipiat , nisi mœnibus se muniat , nisi artes , commercia , & id genus alia perquirat ; quos non dico labores in paupere vita conservanda , sed quas in latronibus insidias , quæ pericula in hostibus offendet ! His ergo cunctis occurrit illa per Civilem , & Militarem Architecturam , quæ in construendis urbium ædificiis , ac munitionibus occupantur. Nec contenta nos sanos , ac tutos habere , divites etiam reddit , dum

Na-

Nauticam advocat, cuius ope semotas longe provincias penetrare, mercesque ex ipsis pretiosas comportare satagit. Hic domorum nitor, & civitatum nostrarum amplitudo, hæc tandem divitiarum adfluentia, quibus a sylvestribus quibusvis populis discernimur, ipsis sane litteris debentur.

Videre mihi videoi, Auditores, omnes vos totos inardescere erga Physicas disciplinas, ac supra quascumque alias illis laudem, primisque deferre. Sed cohibeatis, vos precor, parumper judicium vestrum, præcipitemque sententiam: spero enim futurum, ut si, quæ de ipsis dicta haætius sunt, placuerunt; quæ de Rationali Philosophia a me dicentur, maiori certe vehementia vos rapiant ad illam ardentissime amplectendam. Si enim mundus iste adspectabilis, qui illas occupat, tantam secum dignitatem, commodumque adfert; quid de intelligibili mundo sperare opporteat, in cuius contemplatione doctrinæ nostræ versantur? Una, & hæc præclara argumenti species, si alia deessent, sufficeret pro ip-

ipsarum præstantia separanda : intelligibilem nimirum spiritali , & vivida ; adspectabilem vero ex corporea , & inertis substancialia constare : & quantum a corpore distare spiritum pro sua excellentia experimur omnes , tantum illud ab eo evidentius superari . Hoc ipsum , quod portamus , humanum corpus , sane egregium , atque nobilissimum , nisi spiritu regeretur , cadaver esset statuæ persimile , in qua præter figuræ formam nihil fere dignum reperitur . Tota igitur , quam in eo miramur , ingenii virtus , unde supra cæteras universi partes illius claritas commendatur , ex interna animi vi proficiscitur . Quanta vero hæc sit , quam varia , & stupenda , quo tandem ordine moveatur , totum illud corporeæ naturæ systema excedit . Mundus iste , qui sensibus objicitur , re quidem vera amplissimus , tot enorimi leucarum distantia circumfusus , intra mentem tamen hominis capitur , deinde inspicitur , retinetur postea , ac tandem comprehenditur . Multiplices insuper , quibus hæc peraguntur , cogitationum ortus ,

ac progressus , etsi præ consuetudine nos mirari non sinat , nostram tamen adtentio- nem merentur potius , quam physicæ rerum productiones. Aliæ alias continuo ideas ex- citatas , ac sibi invicem succedentes excipiunt , indies pulciores. Nam quemad- modum tellus nimio parturiendi fructus labore inanis redditur , & sterilis , mentis nostræ fœcunditas frangitur , sed semper sui potens , ac novæ prolis effectrix perpe- tua fœtus suos gignit , atque educit , ut non illi autumnus , hyems , ver , æstasque aut expectentur , aut noceant. Quodsi tan- ta est hæc humani spiritus dignitas ; maxi- ma certe erit spiritus Divini , illius omnium Auctoris , qui mundum utrumque condi- dit , servat , atque moderatur , cuius profi- temur gloriam a nullo investigari posse , nec definiri. En Philosophiæ Rationalis ma- teria tot , ac tam sublimia continentis. Ja- Ætet ergo Physica illas , quibus occupatur , corporei mundi causas , effecta , atque le- ges , & suam demum in evolvendis illius mysteriis sollertia : Logica statim opponet  
mi-

miranda mentis nostræ arcana , & suos in detegenda veritate conatus , erroribusque corrigendis diligentiam. Adducat etiam Mathematica numeros suos , mensuras , ac pondera , quibus librat terrarum , cœlorumque distantias : Methaphysica vero offeret firmas illas rerum omnium regulas , æternarum , extantium , ac possibilium ; & cum illa externam tantum universi faciem inspiciat , ac præter ea , quæ facta sunt , nihil aliud meditetur , nihilque præsumat ; hæc internam ipsius universi formam , ordinemque illum , quo res aliæ fieri a Deo possunt , quantum fas est homini , perscrutatur. Et quamvis Physicæ , ac Mathematicæ non parva laus sit , quod originem præstent , viresque Medicinæ , qua hominum vita servatur : Logicæ maior , & Methaphysicæ accessio fit , quia sinu suo alere , ac manuducere videantur Ethicam , per quam eorum spiritus perficiatur.

Si vero ad finem illum , in quem Rationales disciplinæ collineant , sermo noster progrediatur , nemo , nisi injustus rerum

æstimator, dignius aliquid, utiliusve invenire poterit. Ceteræ omnes eo tendunt, ut bona nobis multa corporis, vitæque commodis obsequentia comparentur: nimirum sanitas, pax, securitas, atque divitiæ: nostræ vero illuc prospiciunt, ut animi virtutes, & beatitudinem consequamur. Idcirco hortantur nos, & hortando quotidie inclinant ad veram rationis normam explorandam. Cum enim ista, qua a belluis fecernimur, hominis natura ad aliquam, ubi tandem adquiescat, felicitatem excitetur semper; & hæc nisi amore non obtineatur, nosque amare nequeamus illud, quod nusquam cognovisse datur; erunt certe omni studio prosequendæ artes illæ, quarum una tenebras dissipet, ut felicitatem nostram agnoscamus: alia, quæ facem adtollat, ut eam sublimius contemplemur: postrema, quæ modum dicit, ut illa securius perfruamur. Logica igitur est, quæ nobis ingenii usum statim aperit, quæ sophismata vitare, ac veritatem amplecti docet. Ipsa, quæ parentis more nobiscum simul operatur, cogitatio-

tiones gignit , genitas comparat , & quidquid intus latet , luculenter evolvit. Et cum nos ad maiora paratos videt , Methaphysicæ tradit , cuius munus est ad altiora erigere , generaliaque universi hujus principia , atque unum tandem illius Conditorem , Naturam omnium intelligentissimam , potentissimam , perfectissimam. Tunc occurrit Ethica , nullique labori parcit , ut nos moveat ad expetendum summum illud bonum , cui profecto , quidquid sumus , erimusve , acceptum deberi ipsa demonstrat , aliaque , nisi virtutis via , perveniri non posse ad perpetuam , quæ in eo est , & qua demum beati erimus , voluptatem. Hic ego vestram , Auditores , patientiam oro , & confidere-tis , quæso , quodsi nostra orationis prolixitas cruciet , rerum dicendarum utilitas levabit. At quo fastidium in hac parte vestrum minuatur , non ego , sed vos ipsi fingite hominem , quem placuerit , omnibus corporis , ac fortunæ dotibus instructum , firmum , elegantem , divitem , præpotentem ; sed hebetem simul , ac tardum. Opus c ii est ,

est , ut eum vestra etiam sententia infelictem fore judicetis ; propterea quod tot sibi concessas a natura facultates moderari nequeat , immo aliorum curam provocet , ut eas reprimant , ne iis in propriam aliquando perniciem abutatur . Quodsi illi ingenium contigerit ad quascumque litteras adprime comparatum ; sed nescio quo mentis impetu eas tantum versare amet , quæ corpori prosunt ; quæ vero animum perficiunt , prorsus despiciat , & ignoret ; hunc mortalium omnium miserrimum pronuntiabitis . Nihil eum juvabit artem in promtu habere , ut se a morbo expeditat ; nihil divitias numerare , ut rerum indigentiæ occurrat ; nihil domos , ac mœnia construere , ut se ab insidiatoribus tueatur ; si in semetipso vitium intus nutrit , ac foveat pestem omnium teterrimam , atque hostem omnium periculosisssimum . Nulla illi cura erit de summa in imperantes observantia , de tenera in parentes pietate , de suavi in æquales adfæctu , & pronta in miseros caritate ; sed omnia societatis humanæ vincula dissolvet ; &

& quod malorum finis est, de consequenda vera hominis beatitudine desperabit. E contrario qui vividam sortitus indolem, eam his nostris studiis formaverit, quamvis multa ad corporis commodum spectantia desideret, animi tamen virtutibus se instructum viderit; hunc ego hominem beatum reputo, quantum ferat nostra hæc vita, atque mortalitas. Quidquid acerbum ei vel a noxio cœli adflatu, humorumque pervicacia, vel ab improborum asperitate accidat; æquo animo illud excipiet. Ipse præ cæteris erit, qui difficillima pro bono aggredi, atque pati tentabit, tametsi eum adversantia multa circumstent, cum ex hac nostra Philosophia persuasum habeat, virtutem non sine labore exerceri solitam; & ad summam hominis felicitatem iter fieri per medias difficultatum acies, quibus tandem devictis, vir sapiens de sua etiam calamitate gloriabitur.

At illa vos mihi obstrepentes audire  
puto, quæ oculis exhibentur in Physicis,  
dulcia, plana, & aperta sunt: hæc vero,  
quæ

quæ a Rationalibus disciplinis concipiuntur, abstrusa impervia, & multis sæpe noxia fuerunt. Totum enim mundi corporei spectaculum mirabili suarum partium dispositione ad Creatoris cognitionem, & amorem nos movet, ut nullus tam crassæ, aut protervæ sit mentis, qui suavissimæ illius vehementiæ non cedat. Sed quæ in mundi intelligibilis contemplatione investigamus, tot sane mysteriis inveniuntur implicita, ut vel a cogitatione nostra comprehendi nequeant, vel quod peius est, in perniciem nos ducant. Hinc multos ex hac altissima spiritualium rerum indagatione in fanatismum audivimus, aut in Atheismum prolapsos. Hem! bone Deus! Quanta hic non dicam inania, sed temeraria, atque omnino falsa jactantur! Scio ego fuisse nonnullos, qui Rationis studio dediti, cerebro tandem, ac religione vacui evaserunt, sed longe plures, qui sensuum imaginibus illusi eadem fuerunt impietate notati. Ne tamen artium innocentiae demus, quod hominum vitio debetur, monitos volo scholæ nostræ alumnos,

nos , nullum fuisse hactenus veræ seu corporeæ , seu spiritualis Philosophiæ laude præclarum , qui similem ex illa contraxisse maculam crederetur . Qui ergo nimium cordis libertati faventes , aut ingenii sui viribus plus æquo tribuentes , altiora se curiosius inquirunt , hi profecto pro veritate errorem , ac impietatem pro virtute offendunt . At vobis ego non illam prædico Rationalem Philosophiam , quæ contra semetipsam hominis rationem armat , non illam superbientem , & contentiosam , quæ in Auctorem suum rebellis suave illius jugum excutit , & disputat de ipsius legum æquitate . Illam vobis commendo , illam tradam , atque tuebor , quæ hominem monstrat corpore , & spiritu constantem , a Deo sapientissime ordinatum , ut corpus spiritui cederet , spiritus corporis utilitatibus provideret : hac inter utramque substantiam concordia stabilita , ut una alteri imperet , alia illius imperium non recuset , immo nitantur ambæ ad se , omniaque sua in nobilissimum totius Auctorem referenda . Quid  
 in

in hoc discriminis , quid periculi ? Rece-  
dant ergo fanatici illi , qui hominis men-  
tem a corpore in hoc coniunctionis statu  
separant , ut verum , & bonum invenire  
possint ; cum illa invenire impossibile sit alio ,  
quam a Deo constituti sint , modo , atque  
ordine. Erubescant impii , qui corpus ad-  
versus spiritum commovere curant , illud-  
que a legitimo ipsius dominio subtrahere ,  
ut in profundum miseriæ barathrum præci-  
pitent. Fateantur omnes nullam in litteris  
nostris timoris , sed lætitiae plurimam cau-  
sam esse , quia & beatitudinis nostræ viam  
aperiunt , eamdemque facilem , & expedi-  
tam.

Vehementer errare non inficior , qui  
existimant veram ab homine sapientiam com-  
parari posse , quin multa in illius prosecu-  
tione sustineantur. Sed vehementius errant ,  
dum maiorem in spiritus , quam in corpo-  
ris disciplina difficultatem collocant : quod  
quantum a vero distet , proprio unusquisque  
experimento confirmabit. Multos sæ-  
pe vidimus ad Astronomiæ studia egregie  
fa-

factos , qui tamen ob oculorum vitium , quo  
 laborabant , ad contemplandos cœlorum  
 ambitus , syderumque cursus sese impares  
 esse querebantur. Alii artis paralysi occu-  
 patos ferre non poterant ad metiendos ter-  
 ræ modos , tametsi Geometria fuerint diu  
 versati. Hos capitis , stomachique imbecil-  
 litas a navigandi , medendive artibus ; illos  
 rerum inopia a domibus , arcibusque con-  
 struendis deterrebat : ut omittam pretiosum  
 illum ad res istas instrumentorum adpara-  
 tum , cui sane comparando immensi labo-  
 res , ac sumtus expendi solent tum in Bo-  
 tanicæ hortis , tum in Chemiæ laborato-  
 riis , tum in Physicæ musæis , tum deni-  
 que in Mathematicæ solariis. Quodsi nul-  
 la hæc ipsis obstent ; adtamen obstatre pos-  
 sunt alia foris advenientia , & non levis ne-  
 gotii impedimenta , temporis scilicet vicis-  
 situdo , atque intemperies , quæ nos a cor-  
 porum nostrorum cura sæpe prohibent , ac  
 interturbant. Qui vero spiritum velit ratio-  
 nis , & morum præceptis imbuere , nulla  
 hæc prætendet obstacula , si serio , candi-  
   do-

doque animo his studiis tradatur. Quotquot nascimur , mente instruimur , voluntateque donamur : has intus facultates servamus , nec ab ullo , quem sciam , avelli possunt , quantumvis magna armati manu conarentur. Ipsæ nos die , nocteque , & ubique comitantur : in adversis erigunt : tenent in prosperis : si erramus , monent : si progradimur , laudant : diriguntque , si titubamus : ac per multa vitæ discrimina ad veram semper felicitatem perducunt. Hæc quam vere a me dicta sint , sapientissimi Regis decreta confirmant,cum Rationis Philosophiam ad omnes , quæcumque illæ sint , hominis artes , & disciplinas necessariam esse , & ab omnibus addiscendam fore fateatur. Omnes enim , si unam excipiamus Theologiam , quæ altiori revelationis lumine inlustratur , ab hac totum illum , quo micant , splendorrem accipiunt: ac nisi illius ductu , & monitis regerentur , in naturæ contemplatione aberrarent : ut sine injuria eas veluti famulas , quæ alterius mandata exsequuntur , nostrum vero dominam eis imperantem ad-

pel-

pellaverim. Sed quid vos morabor? Ipsa, quam modo excepimus Theologiam, suam licet a Deo vero luminum fonte, atque parente, lucem habeat, hujus tamen radios non contemnit, immo illius opera utitur, ac diligentia juvatur. Nam cum religio-nis Divinæ mysteria nos homines, non sa-xa, aut truncos inveniat, & a nobis firmum, sed rationabile obsequium postulent, para-tosque velint ad reddendam Fidei nostræ rationem; opus est, ut aut personam ho-minis ratiocinio utens sustinere, aut Theo-logi omnino perdere videamur. Præterea innumeri de cogitationibus, ac moribus nos-tris sermones, qui in Theologia sublimius retractantur, a Rationali Philosophia jam sunt parati, dispositi, atque inlustrati.

Ad hanc ego vos provoco, Adoles-centes ingenui, & per quidquid ubique san-ctum est, oro, & obtestor, hanc præ cæ-teris colere, & illi vosmet totos tradere destinetis. Non terreant vanissimæ homi-num injuriæ, quæ in præclaram Artem qua-drare non debent, in qua nihil abstrusum,

ni-

nihil nisi pervium , utile , ac sanum esse vos docui. Pergite jam , quo præclaram indolem vocant Optimi Regis au<sup>t</sup>oritas , Paren- tum vota , ac Præceptoris industria. Nisi me diu teneret de vestro in Sapientiam amo- re concepta opinio , aliis vos modo urge- rem stimulis , adpenderemque fasces , togas , mythras , atque thyaras , quæ litteris esse solent præmia , & ornamenta. At tan- ta , quanta in vobis est spes , atque existi- matio , non perituris vitæ commodis , & ho- noribus excitatur ; sed alia , & optima qui- dem mercede , mentis scilicet dotibus , ani- mique virtutibus : quæ si , uti par est cre- dere , adolescentiam vestram ornaverint , se- nectutem demum reddent patriæ utilem , vobis gloriosam , atque felicem.

*Dixi.*



0081 56











